

Weichbild magdeburski w układzie śląsko-małopolskim.**Tekst kompilowany uwzględniający wersje sandomierską i krakowską**

Rękopis Klasztoru OO. Paulinów w Częstochowie, sygn. II-3, s. 123–125

Odczyt: Maciej Mikuła

Artykuł 59 [Gn. 56]

[59] Qui monomachaliter suum equalem salutare seu alloqui voluerit, hunc iudicem petere oportebit, [i] ut se intromittere possit de uno suo pacis violatore, quem videat in presenti. Cum hoc per sententiam diffinitum fuerit, cum etiam in sententia requirat, per quem modum se de ipso intromittere debeat, ut sibi in suo iure proficere possit. Tunc sibi de iure diffinitur, curialiter per horam vestimenti. Et cum se de ipso intromittat, pronunciat sibi causam, pro qua se de ipso intromiserit, quod statim facere potest, si vult, aut pro eo habere colloquim. Tunc ipsum inculpare oportebit, quod in eo pacem infregit aut in strata regia, aut in villa, qualiter infregit, eodem modo super eum queruletur. Tunc ipsum iterum inculpet, quod ipsum depredaverit et eius vim in eo fecerit, quam bene probare poterit. Tunc vulneris cicatricem demonstret, si vulnus sit sanatum. Tunc ulterius conqueratur, quod ipsum spoliaverit nomine^a, sive de ipso tanta receperit, quod bene duellum meretur. Hec tria criminalia facta omnia simul conqueratur, de quocumque horum trium de uno obliviscitur aut tacuerit, extunc suum duellum amisit. Cum loquatur ulterius: tunc ipsum solum, hoc est propria in persona, ipsum proclamavi clamore. Si facere voluerit, quod diligit, et si non fatebitur, cum omni iure vincere volo, ut michi vulnere iudicaverit, aut scabini, si sub banno regio fuerit. Extunc ille petat satisfac[c]tionem, quam sibi facere debet. Tamen vir potest suam querimoniam meliorare [s. 124] ante satisfac[c]tionem, si voluerit. Facta satisfaccione ille suam exhibeat innocenciam, hoc est iuramentum monomachale, si ipsum iure incitaverit et si hoc fuerit, ibi est, et si perficere poterit per inbecillitate sui corporis. Quivis vir se a duello excusare $\vdash^b\vdash$ illi viro, qui sibi paris condicionis non fuerit. Ille autem, qui nobilioris nature fuerit, si ipsum alloquitur. A duello etiam cedere potest, qui post meridiem alloquutus fuerit, nisi ante meridiem esset inchoatum, iudex etiam debet habere clipeum ac gladium illi, super quem alloquutus fuerit. A duello etiam potest excipere vir suos affines, si uterque suos affinis fuerit et ita consanguineitatis linea coniuncti fuerint, quod simul pugnare non poterint. Iudex etiam duos nuncios dare debet cuilibet hiis, qui pugnare debent, qui videant, et habeant attinenciam secundum veram consuetudinem. Corream et linea indumenta induere possunt, quantum placet. Caput et pedes una^a nudi sint, in manibus cirotecas habeant, unum gladium nudum in manu et alio cinctus, aut duobus, hoc arbitrio eorum committitur, unum clipeum rotundum in manu, non aliud quam aliud lignum aut coreum sit, preter manu tectorium, quod debet esse ferreum, unam tunicam absque manicis super preparamentum. Etiam iudex debet indicare pacem circa collum, quod nemo eos impediat circa duellum. Cuilibet ipsorum unum virum dare debet, qui falangam ferat, qui ipsos in nichilo im[pe]dire^c debet, nisi si unus ceciderit, quod falangam desiderat, hoc idem facere, nisi voluntas iudicata fuerit, non potest.

Postquam circulo pax indicta fuerit, ambo debent circulum affectare, quem ipsis iudex licenciare debet. Finalia ferrimenta de vaginis gladiatorum deponere debent, nisi a iudice licenciam habuerint. Ambo ornati ire debent ante iudicem, et ambo iurare debent: unus, scilicet actor, quod causa sit vera, pro qua super ipsum querelam fecerit, et respondens, quod sit innocens. Sic ipsos Deus adiuvet ad suum duellum. Sol etiam ipsis vel inter ipsos debet dividi recte, quando primo conveniunt. Si vincetur ille, super quem conqueritur, tunc iudicetur sententia capitali. Si autem vincet, dimittetur cum pena et emenda. Actor primo circulum intrabit. Si alter diu tardaverit, iudex debet ipsum per preconem mittere vocare in illa domo, ubi se preparaverit, et duos iuratos cum ipso mittere debet. Si debet citare primo, secundo, tercio et si ad terciam citacionem non venerit, tunc querulator surgat et se ad duellum exhibeat. Et percuciet statim duos iactus et tercium figat extra ventum, cum quo suum adversarium devicit tali causa sive querela, pro qua ipsum fuerat alloquutus. Et iudex sibi iudicare debet, sicut fuisset duello convictus, si mortuus [s. 125] convictus in furtu aut captiva, aut in tali crimine occisus fuerit cum septem testibus protestare poterit, extunc ad duellum se non indiget exhibere extra ipsum. Si autem alter cognatus mortui, quicumque fuerit, loco ipsius ad duellum se exhibuerit, hic extinguet omne testimonium, quia tunc ipsum absque duello vincere non potest, ut supra est expressum. Sic vincetur et ille, qui ad duellum captivatus aut salutatus fuerit, aut promittit aut caucionem fideiussorie fecit comparere, quod compareat ad iustam responsionem [d].

^a odczyt niepewny; ^b skreślone v; ^c przerobione przez autora podstawy z impediati; ^d nieokreślony znak, niewykluczone etc.

[hasła: sędzia, pokój, wyrok, prawo, pojedynek sądowy, skarga, droga królewska, oskarżenie, rana, blizna, dobra, sąd królewski, ławnik, gwar, zabezpieczenie, przysięga, niewinność, niepełnosprawność, równy stanem, szlachcic, tarcza, miecz, krewny, zwyczaj, pięściarz, wola, powód, kradzież, świadek, krewny po mieczu, nawiązka, kara sądowa, mulkta, posiedzenie]